

et mixtum ingenti generis discrimine fatum,  
 singula cum tantum teneant tantoque ferantur  
 tempore, sex tota surgentia sidera luce  
 <nec spatio noctis linquentia plura profundum.>

560  
 560 A

Restat ut aetherios fines tibi reddere coner  
 filaque dispositis vicibus comitantia caelum,  
 per quae derigitur signorum flammeus ordo.

\* \* \* \* \*

565 B  
 566

<primus et aetheria succedens proximus arce>  
 circulus ad borean fulgentem sustinet Arcton  
 sexque fugit solidas a caeli vertice partes.  
 alter ad extremi decurrens sidera Cancri,  
 in quo consummat Phoebus lucemque moramque  
 tardaque per longos circumfert lumina flexus,  
 aestivum medio nomen sibi sumit ab aestu,  
 temporis et titulo potitur, metamque volantis  
 solis et extremos designat fervidus actus,  
 et quinque in partes aquilonis distat ab orbe.  
 tertius in media mundi regione locatus  
 ingenti spira totum praecingit Olympum  
 parte ab utraque videns axem, qua lumine Phoebus  
 componit paribus numeris noctemque diemque  
 veris et autumnii currens per tempora mixta,  
 cum medium aequali distinguit limite caelum;  
 quattuor et gradibus sua fila reducit ab aestu.  
 proximus hunc ultra brumalis nomine limes  
 ultima designat fugientis limina solis,  
 invida cum obliqua radiorum munera flamma  
 dat per iter minimum nobis, sed finibus illis,  
 quos super incubuit, longa stant tempora luce

570

575

580

585